



**M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV**

**Muret, Marc-Antoine**

**Antverpiæ, M. D. LXXXVI.**

Cap. 5. Æris Corinthij temperatur a quomodo inuenta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

& in Phœnissis, σὸν δέπους θηγάνων Θ. vt ergo illi Graeci dicendi genera exprimebant, ita facere oportet eos, qui se nostris temporibus poetas perhiberi volunt.

*Æris Corinthij temperatura quomodo inuenta.*

C A P V T . V .

**S**VPER ære Corinthio, quænam illius origo fuerit, varia tradita sunt ab antiquis. Plinius casu mistum esse ait, Corintho, cùm caperetur, incensa. L. quoque Florus eandem sententiam sequitur, à quo ita hac de re scriptum est: *Æris notam pretiosiorem ipsa opulentissimæ urbis fecit iniuria: quia incendio perustis plurimi statuis atque simulacris, æris, auri, argentiq; vena in commune fluxere.* At alij vnam modò antiquis temporibus domum Corinthi arsissè dicunt, in qua cùm auri argentiq; nonnihil inesset, æris autem magna vis; commista illa, & in eandem confusa massam, ex eo metallo cuius maior inerat pars, Corinthij æris nomen acceperint. Alij etiam, quod proprius ad veri similitudinem accedere videtur, narrant, ærarium quendam fabrum Corinthi fuisse, qui cùm incidisset in thecam auri plenam, eamq; sibi abstulisset, ne id resciretur, metuens, dissectum in minutas particulas aurum paulatim æri admiscerit, admirabilemque illum temperaturam effecerit, qua magnas sibi opes postea comparavit.

*Indicata vetus scriptura duum locorum è libro secundo  
De Diuinatione.* C A P . VI .

**B**ENE & emendatè scriptus erat in veteribus libris locus hic è secundo De Diuinatione: *Ad nostri augurij consuetudinem dixit Ennius:*

*Quon tonuit lauum bene tempestate serena.*

*At Homē-*